



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Tractatus De Fiducia In Deum Plurimas Et Utilissimas pro  
vitâ spirituali instructiones Conticens, Præcipue Ad  
Obtinendam magnam animæ quietem, & afflictiones  
quascunque ingenti cum solatio & fructu ...**

**Dusault, Nicolas**

**Coloniæ Agrippinæ, 1660**

§. 8. Constantia Socratis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50333](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50333)

manæ æstimationis tui quod habes, inamabilem esse favorem creatoris tui, & effectum charitatis ejus qui tibi vitam donavit ut te servaret, non ut perderet. Si judicet ille majora talenta & eminentiores perfectiores tibi esse ad salutem necessarias, cum jus manu cuncta sint posita, & qui te amplexatus est infinito, ea profecto non pertraxisset. *Qui enim proprio Filio suo non perdidit ut recte argumentatur Apostolus Romanis sed pro nobis omnibus tradidit illum, qui non etiam omnia nobis cum illo donavit.*

## §. VIII.

*Constantia Socratis.*

**E**X antiquis Philosophis celeberrimus Socrates cum adstaret in conspectu iudicum à quibus decretoriam expectabat mortis sententiam, his fertur verbis eos allocutus, *Quibus hoc caput concludam. Plato in apol. Si mihi hodierna die diceretis, Iudices, libertati tuæ te restituimus, sed illa conditione, ut quam hactenus tenuisti mordicam opinionem, deseras, nec nostros argueris præsumas, næ mihi ridiculi videremini. Si enim Imperator vester certum vobis locum assignasset in prælio, profecto vitam potius*

deberetis, quam stationem, deserere. Et me  
quidem Deus iussit hic consistere, & quam  
vitæ rationem teneo, præscripsit, an ab ea vos  
me potestis deducere? O Criton Criton, si  
hæc est voluntas Dei, est & mea. Anitus &  
Melitus me necare possunt, nocere non pos-  
sunt. Deum immortalem! quam homo iste  
divinè locutus fuisset, si præter naturale lu-  
men rationis, quo erat præditus, habuisset &  
fidei supernaturale. Si cognovisset Deum non  
solum ut naturæ suæ conditorem, sed ut re-  
paratorem etiam ac Redemptorem immenso  
plenum nostri amore, quem testatus est tam  
huculenter, & testatur quotidie paternâ quam  
gerit nostri curâ. Discamus vel ab Ethnico  
hanc conformitatem voluntatis nostræ cum  
divinâ.

CAPUT. IV.

Quomodo Deus unumquemque deducat  
per viam salutis suæ: & quid faciendum ut  
eam cognoscamus & sequamur.

§. I.

*Consilia Dei occulta & sanctissima.*

Scriptores sacri de Deo tractantes sensu al-  
legorico & captivi intellectus nostri accõ-  
modato, tribuunt illi corpus, caput, oculos,